



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Valentiniani imperatoris in Sauromatas expeditione, & eius in Gallia
morte, & Valentiniani Iunioris electione, ac persequutione sacer dotum,
orationéque Themistii philosophi, qua magis humanus ac ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

SOZOMENI HISTOR.

quinetiam uti ferunt, neque eorum quidem qui tum eodem nomine, si modo illustres essent, appellabantur, vel saltem simile nomen habebant, cuius primae litterae à Th, usque ad D, eadem essent. Porro philosophorum huc processit amentia, uti crederent in sua situ potestate, ut tum imperatorem è medio tollerent, tum denuo excitarent. At quamvis eiusmodi res decretis, quae rato aliorum cursu semel statuta sunt, ascribi deberent, tamen oportuerat eum, qui esset futurus imperator expectare, verum si istud concilij & voluntatis divinae opus sit, quid est, cur quisquam eas ideo curiose peruestiget. Nam praesensione aut studio humano, quod est à Deo decretum, sciri omnino non potest: quod si posset, non tamen rectum esset existimare eos, homines cum sint, licet omnium sapientissimos, melius quam deum posse de rebus consilium capere. At verò si cupiditate illius, quod erat futurum, praenoscendi, eo imprudentiae ferebantur, ut periculo velut ante oculos proposito se ultro offerrent, legesque olim à Romanis, eo videlicet tempore, cum Gentilitatem profiteri, & immolare idolis periculo caruit, promulgatas contemnerent, non eadem mente fuere & sententia, qua Socrates: qui cum saluus esse posset, cumque etiam cicutam, idque contra aequum & bonum bibiturus esset, reverentia tamen erga leges, in quibus natus educatusque fuerat, è carcere, etiam cum posset, fugere noluit.

De Valentiniani imperatoris in Sarmatas expeditione, & eius in Gallia morte, & Valentiniani junioris electione, ac persecutione sacerdotum, orationeque Themistii philosophi, qua magis humanus ac facilis in illos qui ei repugnabant effectus est.

CAP. XXXVI,

Sed de hisce rebus liberum sit cuique pro arbitrato & iudicare, & dicere. Cum Sarmatae in loca quaedam Imperij ad solem occidentem vergentis incursionem fecissent, Valentinianus bellum contra eos suscepit. Illi au-

Illi autem de numero militum & apparatu eius certiores facti, legatos ad eum de pace mittunt. Quos cum vidisset, sciscitatur num omnes Sarmatæ tales essent. A quibus cum esset responsum Sarmatum facilè præstantissimos ad eam obeundam legationem venisse, ira supra modum incenditur. Atque grauitè vociferatus, quàm miserè, inquit actum est cum subiectis meis, & quàm infeliciter cecidit, vt ad me Romanum imperium deferretur, cum Sarmatæ, gens planè barbara, quorum isti sunt præstantissimi, non contenti sint in suis ipsorum finibus vitam agere, sed in meum imperium inuadere, & contra Romanos deniq; bellum facere vel somniare audeant. Qui cum hoc modo æstualet, & contenta voce ista proferret, adeo extra modum eius extendebantur intestina, vt & venam & arteriam rumperet: magnaq; sanguinis copia effusa, in castello quodam Galliarum vita exiret, cum iam natus quidem esset annos circiter quinquaginta quatuor, imperium autem præclarè ad modum, & cum magno splendore gubernasset, tredecim. Sexto autem post eius mortem die, Valentinianus iunior eius filius eiusdem nominis à militibus imperator declaratur. Cuius creationi Valens, & Gratianus eius frater, quamuis primò iniquo animo paterentur, quòd milites imperii insignia antè ei tribuerant, quàm ipsi permisisset, non multò post tamen suffragati sunt. Eodem tempore Valens Antiochiæ, quæ est in Syria, ætatem degens, maiore odio indies in suæ opinionis aduersarios exardescere, acerbè eos affligere & exagitare cœpit. Cum verò Themistius philosophus librum ei dedicaret, hortabatur, docebatq; non oportere mirari dissensionem, quæ in ecclesiasticis opinionibus versabatur, cum multò inferior multoq; minor sit, quàm quæ extaret apud Gentiles. Nam permultæ apud ipsos sunt opiniones, & dissensionem ob multitudinem dogmatum susceptam, complures contentiones de eiusmodi rebus, & disceptationes excitare necessum est. Siquidè Deo fortasse visum sit, vt ipse nõ facilè nosceretur, & variæ existeret de eo opiniones, quo singuli magis eum vererentur, cū exquisitâ eius cognitionem comprehendere nõ possint, secum reputâtes, quâtus sit & cuiusmodi ille quidem, ad cuius cognitionem venire cogitant.